

stola. Nos diligimus eum, inquit, quia prior dilexit nos, videlicet quia dedit pro nobis filium, & remisit nobis peccata. Ita significat precedere fidem, sequi dilectionem. Item fides illa, de qua loquimur, existit in poenitentia, hoc est, concipitur in terroribus conscientiae, quae sentit iram Dei aduersus nostra peccata, & querit remissionem peccatorum & liberari a peccato. Et in talibus terroribus & alijs afflictionibus debet haec fides crescere & confirmari. Quare non potest existere in his, qui secundum carnem viuunt, qui delectantur cupiditatibus suis, & obtemperant eis. Ideo Paulus ait, Nulla nunc damnatio est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulat, sed secundum spiritum. Item, Debtores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, Sin autem spiritu actiones corporis mortificabitis, viuetis. Quare fides illa quae accipit remissionem peccatorum in corde perterrefacto, & fugiente peccatum, non manet in his qui obtemperant cupiditatibus, nec existit cum mortali peccato.

Ex his effectibus fidei excerpunt aduersarij vnũ, videlicet dilectionẽ, & docent, qd dilectio iustificet. Ita manifeste apparet eos tantũ docere legẽ. Non prius docent accipere remissionẽ peccatorũ per fidem. Nõ docent de mediatore Christo, qd propter Christum habeamus Deum propiciũ, sed propter nostrã dilectionem. Et tamen qualis sit illa dilectio, non dicunt, neq; dicere possunt. Prædicant se legem implere, cum hæc gloria proprie debeatur Christo, & fiduciam priorũ operum opponunt iudicio Dei, dicunt

N ij cunt